

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm**

**Calepino, Ambrogio**

**Basileae, 1616**

Stvdioso lectori typographvs

[urn:nbn:de:bsz:31-107476](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107476)

# STVDIOSO LECTO

## RI TYPOGRAPHVS

S. D.



OGITANTI mihi de optata tandem, in quam hæc nostra ætas devenit, felicitate temporis (candide & studiose Lector) non abs re videtur & Calepinum ipsum, si reviviscens præsto foret, solo isthoc Opere declarare posse. Etsi enim is præsens Dictionarium, pulcherrimo sædè & utilissimo instituto, necnon felici primordio, eo tempore quo boni authores nondum suæ integritati atq; nitore restituti erant, literarum studiis interea aliquo modo refflorescentibus, ex variis scriptoribus, multis haud dubiè vigiliis, congesterat: non erat tamen tanta verborum copia illustri earum explanatione, utiq; rebus, quæ ad Latini sermonis puritatem, copiam, elegantiam & naturam faciunt, adeò instructum, quibus hodie præclara doctissimorum virorum opera cumulatù prodiit. Id ipsum in Præfatione disertè fassus, dum, inquit, multa, imò innumerabilia in hoc Opere deesse, clarè significare voluit, hujus Operis materiam adeò latè diffusam esse, ut subinde majorem accessionem patiatur: quod & in cæteris rebus, quas humana producunt ingenia, usuveneri solet, ut qualicunque arte vel industria elaboratæ sint, excultius ferè semper reddi possint. Id hæctenus multi per Italiam, Galliam & Germaniam politissimi viri, quibus literarum dignitas & juvèntutis profectus cordi fuit, animadvertentes, huic Operi adornandò tantum laboris impenderunt, ut opus novum vel ipsi auctori videri possit. In eo namque vocum series numerosior, & earundè explicatio illustrior existit, unà cum loquendi formulis, proverbialibus sententiis, translationibus, aliisq; rebus ad Latinum sermonem pertinentibus: sitque ditissimi gazophylacii instar, nullis seris, claustrisq; munitum: sed omnibus, quotquot id adire dignantur, obvium, reclusum atq; patens, ut quamprimùm in hujus linguæ subtilitate aliquid desideres, nulla te penuria laborare sinat. Etenim quàm necessaria res sit, verborum vim, proprietates, significationes & congressum tenere, nemo qui bonas artes vel primoribus tantùm, quod dici solet, labris attigit, ignorare potest. Neesse enim est eos, qui sine hac cognitione, in similibus disciplinarum campis, *ὡς ποτὲ κελύς ἐν βαλανείῳ*, versari, & priusquam alii sint instructi, aquilæ volatum imitari voluerint, suam tandem nuditatem & inopiam sentire, & quia verba rebus arctissimè nexa sunt, sæpè quòd maximè necessarium erat, non intelligere, denique in ipso sermonis usu hæerere, aut seipos risui exponere. Ecce igitur quàm chara sint nobis studia tua, ut Thesaurum hunc toties jam cusum atque recusum, nunc quoque castigatius, locupletius, & tuis studiis cujuscunque sis loquelæ, accom-

);( 2 modatius,

P R Æ F A T I O.

modatius, quàm antehac fieri potuerit, Officina nostra extrudat. Nam præter illas superioris editionis linguas & Polonica, Vngarica & Anglica hac demum vice, nostra cura, adjecte veniunt. Quod si iterum verò aliquot voces barbaras: hoc est, quibus Cicero, & similes authores usi non sunt, eliminare nē luerimus, id ceteri non ideò nos fecisse cogitent, ut earum usum commendemus, & cæteris æquiparemus, quin potius ut ii, quibus mediæ ætatis scriptores quoque evolendi sunt, hinc aliquod subsidium sibi parare queant. Cùm igitur Volumen istud tuis studiis, amotis difficultatibus, cæterisque obstaculis, facilem viam daturum sit, & ad parandam eruditionem magnopere profuturum: est quòd Deo in primis, qui nos in tanta luce versari dignatus est: deinde utrisque, & qui primam & postremam ei manum addiderunt, gratias agas, nostrosq; conatus candido pectore excipias.

Vale.

A M B R O.